


PALAESTRA LATINA

SUMMARIUM

- Compositiones vertendae.
Exercitationes scholares, PARDINA, VALLS.
Aestiva, JIMÉNEZ.
Curricula Philologiae Podii Ceretani habita,
MECTILDIS BOLEDA.
Iliadis I, VÁZQUEZ.
Quid de morte senserint classici scriptores,
SARMIENTO.
Nova et Vetera, MIR.
De Thalasso philosopho, ORTH.
Commercium epistulare.
Bibliographia, MAULEÓN, MIR.
Dominus et ostiarius, PASQUETTI.
Curiosa et jocosa, MARIUS, DISANTI, MAU-
LEÓN.

Ordinarii et Superiorum licentia

www.culturaclasica.com



Compositiones vertendae

PLAUTO (continuación)

Esas mismas felices ocurrencias le parecían a Sidonio Apolinar más sabrosas (82) que las de los cómicos griegos. Pero más que nadie se entusiasmaba con ellas (83) S. Jerónimo (84) para quien parece que la elegancia de Plauto fué tan proverbial (85) como la delicadeza ática. El mismo (86), en la carta a Pammaquio sobre el ejercicio de traducir dice que aunque Plauto y Cecilio no tradujeron a la letra (87) a los griegos, supieron aprender de ellos la elegancia y la dignidad.

NOTAS: 82, *Salsiores*. — 83, *Praeter ceteros delectari aliqua re*. — 84, *Hieronymus*, dejando el epíteto. — 85, *in proverbium fuisse*. — 86, *Idem*. — 87, *Ad verbum*.

*82 *Accedunt non attici, sed salsiores quam illi atticorum, romani veteres atque urbani sales* (*Ad fam.* 9, 15, 2). — *Et te tempore, qui satus severo Grajos, Plaute, sales lepore transis*. (*SID. AP., Carm.* 23).

*85 *Haec est Plautina elegantia, hic lepos atticus et Musarum, ut dicunt eloquio comparandus*. (*HIER., Epist. ad Pammachium*).

*86 *Terentius Menandrum, Plautus et Caecilius veteres comicos interpretati sunt, numquid haerent in verbis ac non decorem magis et elegantiam in translatione conser-*

vant, quam veritatem interpretationis? (*HIER., l. cit.*).

*87 No se diga *verbo tenus*, que significa «en cuanto a la forma externa» (*CIC., De leg.* 3, 6, 14): *Veteres verbo tenus acute illi quidem* (con agudeza en cuanto a la forma), *sed non ad hunc usum popularem atque civilem de republica diserebant*; nuestra frase «a la letra», es decir, palabra por palabra se dice *ad verbum*: *De fin.* 1, 2, 4: *Cum iidem fabellas ad verbum e graecis expressas non inviti legant*; *TUSC.* 3, 19, 44: *Ea quae modo expressa ad verbum dixi*; puede también usarse *totidem verbis*: *Istum ego locum totidem verbis a Diccaercho transtuli* (*CIC., Ad Att.* 6, 23); este pasaje lo tradujo a la letra de Diccaerco.

Exercitationes Scholares

De parentum amore erga filios

Erat Mugentii, quod est oppidum Sicillae, vir quidam, ob divitias gloriamque princeps civitatis, cui nomen erat Cambato. Hic egressus venatum, cum jam fere in latronum manus incidisset, adire pedibus oppidum coepit. Tunc forte egrediens obviam ei pater equo vectus, statim desiluit et filium hortatus est ut, incenso equo, ad civitatem protinus tenderet. Filius vero suam salutem patris incolumitati anteponi non est passus, nec vicissim ex periculo fugere pater voluit, projecto in mortem certam filio

Et sic dum flens alter obsecrabat et uterque inter se luctabatur, pugnante paterno amore in filium cum filii pietate

erga patrem, interim cum eos latrones consecuti essent, confoderunt.

JOSEPHUS PARDINA, C. M. P.

Alabonae e III Lat. cursu

Juvenis macedonius

Alexander sacrificabat ei que macedoniorum juvenes nobilissimi serviebant. Quidam inter eos qui coram rege stabat, nimia imprudentia turibulum accepit, quo carbo ardens in ejus brachium cecidit ustaeque carnis odor ad omnium nares pervenit. — Adulescens autem tacuit, brachiumque ne, gemens vel movens, turibulum sacrificio obstaret, immobile sustinuit. — Si hoc spectaculum Darius rex videret, intellexisset gentem vinci non posse quorum juvenes ornati erant magna virtute.

RUPERTUS VALLS, C. M. P.

Alabonae e III Lat. cursu



LENGUA ESPAÑOLA

VOX. — Diccionario General Ilustrado de la Lengua Española. — Prólogo de R. Medéndez Pidal; revisión de S. Gili Gaya. — En tela, ptas. 125.

GILI GAYA. — Iniciación en la Historia Literaria Universal. — Ptas. 22.

LENGUA LATINA

SPES. — Diccionario Ilustrado Latino-Español Español-Latino. — 2.^a edic. revisada por V. García de Diego. — Ptas. 50.

SPES. — Diccionario abreviado Latino-Español Español-Latino, reducción del anterior para los primeros cursos del Bachillerato, 2.^a edic. — Ptas. 25.

ECHAURI. — Diccionario Manual Latino-Español Español-Latino. — 6.^a edic. revisada por el autor. Ptas. 45.

Id. Lengua Latina (cursos 1.^o-2.^o-3.^o). Ptas. 18.

Id. id. (cursos 4.^o-5.^o-6.^o-7.^o). Ptas. 25.

Id. Crestomatía Latina para los siete cursos del Bachillerato, Ptas. 20.

LENGUA GRIEGA

PABON-ECHAURI. — Diccionario Griego-Español, 2.^a edic. revisado por José M. Pabón. — Ptas. 40

ROCA PUIG. — Textos y prácticas para todos los cursos de Griego.

Pedidos y detalles a

EDITORIAL SPES

Avenida Carlos I. 149 - BARCELONA - Telegr. EDISPES


Cum emittis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

VINOS DE MISA

DE MULLER, S. A.

TARRAGONA

Casa fundada en 1851



Medalla de Oro en la
Exposición Vaticana de 1888 (S. S. León XIII)
Proveedores de Sus Santidades
Pío X, Benedicto XV, Pío XI y Pío XII

Garantía de absoluta pureza

EXQUISITA CALIDAD

Certificados del Excmo. Sr. Arzobispo de
Tarragona y de muchos otros Ilmos. Prelados

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

PALAESTRA LATINA

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 15 pesetarum in Hispania et Lusitania, 16 pt. in America et Philippinis insulis, et 17 pt. in reliquis civitatibus - Pretium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barcelona - Apart. 1042

AESTIVA

Hanc vocem quae in re militari locum sonat ubi milites, aestatis ardorem devitantes, se continent— nos ad consessus seu litterarum concursus contulimus in quibus magistri simul ac discipuli omni cura soluti semotique a propria sapientiae sede, per otium aestivum litteris studiisque vacant placidiores auras spirantes.

Duobus quidem consessibus adfuimus hac aestate, quorum memoria nunquam ex animo discedet: alteri, clarissimo Doctore Mariano Bassols de Climent moderatore, sub auspiciis Scholae Philologicae Universitatis Barcinonensis, Podii Ceretani (*Puigcerdá*) de rebus philologicis habito; alteri Salmanticae de cultu latinarum graecarumque litterarum ab Exmo. et Rmo. Dre. Francisco Barbado Episcopo et Pontificiae Salmanticensis Universitatis Magno Cancellario suscitato et aucto.

In utroque haud exigua concursantium frequentia, cognitio rerum in magistris magna cum humanitate et eleganti sermonis expositione, discipulorum vivida contentio studiumque ad disciplinas explanatas, intima inter eos —magistros nempe et discipulos— concordia atque consensus, sollers peregrinationum consessuumque ordinatio, gratissima denique in omnibus animorum recordatio.

Credo fore ut, si Cicero his adfuisset consessibus aestivis, laudem litterarum semel iterumque celebrasset ut «studia quae adulescentiam alant, senectutem oblectent, secundas res ornent, adversis perfugium ac solacium praebeant, delectent domi, non impediunt foris pernoctent nobiscum, peregrinentur, rusticentur».

JOSEPHUS JIMÉNEZ, C. M. F.

Barcinone, idibus septembribus a. 1948.

Curricula Philologiae Podii Ceretani habita


Schola Philologiae Barcinonensis curricula constituit aestiva quae, cum aulae universitariae portas clauderent, sollicitudines philologorum e quibusdam regionibus colligerent; quod quidem in primis Rector ejusdem Scholae Philologiae, Dr. Marianus Bassols de Climent, curavit.

Ante Canigonem, legendarum sedem, Podium Ceretanum exurgit inter prata vaccis bobusque distinctum, inter nemora vicina quorum pinus abietesque ad caelum tendunt. Loci temperies, lacus quietus et ipse solitarius cygnus animo quietem conferunt atque tranquillitatem, qua defatigati litterarum studiosi ex ferventis undequaque urbis commotione maxime indigent.

Quae naturae contemplatio inter curriculae disciplinas cum vitae amoenitatibus penitus consociatae sunt. Et ideo philologus, dum animum illis pulchris locis ut Nuria, Molina, Font-Romeu, Scto. Joanne Abatissarum deleat, notitias tabulae geographicae et linguae assequitur, populum audiens confabulantem, sed ignarum progressus rei hodiernae et scientiae. Poeta vero nihilo alio eget nisi oculos aperire: per eos poesis quasi penetrat.

Curricula Auctores. — Doctor Marianus Bassols de Climent, cathedrae Universitatis Barcinonensis et rector Scholae Philologiae, comparatis jam sibi praestantibus meritis ac lauris, — omnes norunt eum praemio litterarum «Francisci Franco» a. 1947 donatum esse —, (1) illud etiam adjunxit quod haec curricula philologicae apud Podium Ceretanum constituerit. Pede certo, superatis quibuslibet difficultatibus, honorem atque praestantiam his curriculae dedit quae vix orta scientiae fructus attulerunt.

(1) Cfr. PAL. LAT., n. 209, pag. 391.



Moderatores magistri-
que Curriculae: Dr.
Marianus Bassols, Dr.
Julius Marouzeau, Dr.
Jesus Rubio, Sub-
secretarius Ministerii
Educationis Nationa-
lis, Illmus. Dr. Anto-
nius Griera.



Magistri et discipuli nonnulli Nuriæ ante
machinam photographicam adsunt.

Doctores Bassols in tanto opere auctores fuerunt nobiles viri atque societates: Gubernator civilis Barcinonensis Dnus. Baeza Alegría atque Gerundensis Dnus. Mazo Mendo; comarchus seu vici magister ⁽²⁾ Podii Ceretani Dnus. Cadefau; praestantissimi viri, e quibus Podii Ceretani domus enatae sunt (Comes de Godo, Comes de Fgara, Dnus. Bertrán et Gúell), ei summo studio adfuerunt. Quorum constantia et ope, in ipso Pyrenaeorum umbilico hoc Universitatis aestivae initium constitui

potuit, bonarum litterarum futurum nucleum quod patrios et externos litteratos ac sapientes viros congregaret.

Magistri et Discipuli. — Curricula Philologiae praestantissimos professores habuerunt. Nam Dri. Bassols conventum convocanti, egregii viri litterarum hispanicarum et exterarum accurrerunt: Dnus. Eugenius d'Ors, insignis scriptor articulo- rum «Glossari»; Ilmus. Dnus. Griera, Summi Pontificis cubicularius secretus nuper designatus; Dr. Joachim de Entrambasaguas, peritissimus in nostro poëta Lope de Vega explicando; Dr. Ludovicus Pericot, cathedraticus atque Curator provinciae Gerundae Excavationibus perficiendis; Dr. Antonius Badía, qui hoc ipso anno summa cum laude sibi cathedram Barcinonensem comparavit; Dr. Martinus de Riquer, amore Ordinis Equestris Ambulantis captus; Dnus. Antonius Vilanova, Gongorae poëtae peritissimus.

Notanda quoque est opera ab exteris praestita: opera Dni. Julii Marouzeau, professoris Sorbonae, moderatoris Commentarii «Revue des études latines»; Dni. Pauli Aebischer, professoris Lausanensis Universitatis; Dni. Traversi, rectoris Academiae Britannicae Barcinone.


Discipuli vero non solum ex pluribus regionibus Hispaniae, sed etiam ex aliis nationibus: Gallia, Helvetia, Italia, Mexico, Hungaria advenerunt.

Contiones Scholasticae. — In eo gratissimo conventu conjungebantur ad rei philologicae disciplinas profitendas, viri litterarum eruditissimi atque doctissimi qui, amoenis disputationibus cum selecto auditorum coetu, discendi avido, confabulabantur.

Dnus. Eugenius d'Ors, orationem auspicalem dicit de «Nuevo elogio de la palabra», quae quidem oratio insequente die, alia intima, prope submissa voce «de continentis notione» penitus absoluta est.

Dnus. Dr. Griera, prae romanum, romanum christianumque cultum pyrenaeum in lexico expressum investigavit. Toponymia enim, vitae atque animi popula-

(2) *Alealde.*



Lacus... "unde loquaces lymphae desiliunt"

ris documenta, traditiones pyrenæae themata offerunt studioso qui gaudet quærens sub sermone animam populi.

Dr. Badía, de Phonologia disseruit, atque Novae Scholæ Pragensis theorias perite et philosophice exposuit. In reliquis orationibus doctrinam de temporibus verborum hispanorum atque distinctionem «temporis» atque «aspectus», præstantissimam in linguis classicis, edixit.

Dr. Pericot, attulit venustam orationem de cultus elementis, et de illa tenaci pugna inter duas scholas, quarum altera unumquodque cultus elementum uni tantum loco, altera vero pluribus ac dissitis locis ortum habuisse asserit.

Alii egregii professores de litteris hispanis disseruerunt: *Dr. Joachim de Entrambasaguas* de nobilissimo poëta Lope de Vega; *Dr. Martinus de Riquer* de sermone soluto catalaunico, saeculo XV^o, ac de equitatus libris: *Johannes Vilanova*, de Gongora poëta; *Dr. Bassols* postremam lectionem exaravit. Sed de ea ampliorem notitiam referam.

Neque defuerunt exteri magistri:

Dnus. Julius Marouzeau subtilissima argumenta pertractavit: «Pauvreté du latin, langue de paysans», «Richesse du latin, langue de culture», «L'apport grec au latin». Singularem quadam ingenii convenientiam et animi benevolentiam — qua est ornatus — exposuit originem humillimam nobilium verborum latinorum; populus agricola, ex agri cultura plurima verba excepit; ut *e-gregius* dictus est e «grege» lectus, sepositus; *pecunia* = argentum, quod ex «pecore» præcipue constabat; *pactum*, *pax*, quia post pacem et pacem in terram palum «pangebant» seu infigebant. Deinde sermonis Ciceroniani copia verborum, ex verbis graecis saepe hausta, facilem linguae latinae accommodationem significat, exiguam vero inveniendi vim. Roma per graecae urbanitatis viam et ambitum incessit, nam

*Graecia capta ferum victorem cepit et artes
intulit agresti Latio.*

(HOR. *Epis.* 2, I, 157-158)

Dnus. Paulus Aebischer de Toponymia pertractavit atque Methodologiam et elementa exitus in iis studiis exposuit, quorum alia ex scientia, alia vero ex imaginatione pendent. Doctus magister audientium animos excitavit, ut nonnulli in Hispania haec studia colerent.

Professor Traversi jucundas orationes de viris litteratis britannicis pronuntiavit (de Shakespeare, Jhonson, Huxley, Brönte) hispanico sermone satis accurato, quod et audientes summe placuit.

Hic fuit postremus labor professoris Traversi in Hispania. Nunc Montisvidei litteras britannicas docet. Quod bene vertat, eumque Deus fortunet.

Excursiones. — Illis diebus intima fraternitate magistri ac discipuli usi sumus ad assequendum et mentis progressum et corporis otium; id est, perfectionem illam «mens sana in corpore sano» exquirentes.

Pulcherrima loca, quae circumjacent Podio Ceretano, excursionibus perlustrari licuit. Primo Molinam convenimus, hoc anni tempore viridi colore indutam, quae tamen hiberno tempore suavia proclivia praebet ad cursus nivalibus calceis exercendos. Deinde profecti sumus Nuriam, unde Virgo Nigra protegit et greges et pastores; alia die ad Rivum-pullum ubi austerum Sanctae Mariae monasterium invisimus; vicum quoque Liviam petivimus, quem quasi pannum hispanum seu paeninsulam in gallicis terris dixeris.

Prope fines Hispaniae Bourg Madame adest, ubi omnes hispani reculam quamdam, quasi Galliae recordationem, emimus, scilicet aromata aut pretiosa fictilia; vicum quoque «*Font Romeu*», invisimus, qui juxta fontem, imaginem Virginis Mariae asservat, cui populus gallicus cathalaunico sermone canit.

Aedes ac sedes curriculi. — Aediculae Universitatis aestivae, quamquam non satis spatiosae, omnibus tamen curriculo adstantibus sedes et focus fuerunt, quo omnes confluebant. Ibi enim plures horae honeste cottidie effluebant: quadam nocte concentus professoribus ac puellis a discipulis oblatus est. Carmina popularia hispana et exera cantata sub horti arbore, comitante cithara, loquebantur de amore et de pace inter populos.

Alio die carmina recitata sunt. Quinque poëtae versibus nos delectarunt: Susanna March, Maria Eugenia Rincón, Franciscus Salvá, Ludovicus Guarner et Michaél Dolç, qui quidem postquam carmina protulerunt, non solum plausibus donati sunt, sed etiam singuli coronas laureas, infulis ornatas, acceperunt.

Quae quidem «poëtarum consecratio» et «diadematum impositio» plurimum adstantibus placuit.

Postea, Dr. Bassols obtulit antœcenium tam gratum quam grata fuerat recitatio.

Postrema lectio. — Ultimam lectionem dicit rector curriculi Dr. Marianus Bassols. Voce calida vitam praebuit praestanti linguae quaestioni: «Prolificación de las palabras». Mirabile est quo modo ope trium milium vocabulorum ad quattuor milia — quem «mundum animi» dicimus — exprimere possimus.

Viae «proliferationis» multae sunt: Derivatione praetermissa —quae est omnium usitatio— lingua plures habet rationes ad voces efficiendas: sensus restrictionem vel ampliationem, metaphoram, metonymiam. Psychologia quoque interest in «proliferatione»: sunt verba nefasta populo vitanda, v. g. *anguis*, vocabulum indum-europaeum, non placebat, sed populus nomine generico utebatur: *serpens*. In Baetica quoque *serpens* videtur vocabulum nefandum, qua de causa «*biēba*» appellatur.

Themata subtilia magna cum perspicuitate Dr. Bassols exposuit, atque civitatis primoribus, magistris discipulisque multum placuit oratio.

Finis curriculum. — Ac tandem illi viginti dies velociter diffugerunt. Proficiscendum erat.

Pridie vesperi, in theatro Ceretano vigilia litteraria et musicalis a comarcho podi ceretano et a rectore curriculum oblata est. In ea maxime nos delectarunt «Estampas de la Cerdaña», Josepho Maria Junoy auctore, versuum recitatio a Maria Eugenia Rincón, et melodiae a musico compositore Dno. Fabra, quae quidem non solum curriculumi alumnis grata fuerunt, sed etiam podi ceretanis adstantibus, qui cum audissent «Hymnum Ceretaniae» magnis plausis strepuerunt.

Denique, pridie Id. aug. habita est oratio finalis a Dno. Martino de Riquer de Libris equitatus.

Dr. Bassols egit gratias primoribus civitatis, et omnibus adstantibus obtulit vinum honorarium.

Vale tandem, Podium-Ceretanum, studiorum aestivalium sedes. Utinam citissime domus erigatur ubi omnes studiosi locum habeant, Dr. Bassols hoc cupit, primores id ambiunt. Nos, curriculumi amantes, vehementer regressum studemus. Et cum aulae Universitatis portas clauserint, hic conveniemus ad recolendos dies laetissime actos.

MECHTILDIS BOLEDA ISARRE

Lic. Phil.-Litt.

Podio Ceretano, Idibus Augusti an. 1948.

Lectores nostros admonitos volumus hunc et sequentem Num. Commentarii nostri quaternis pagellis augeri ut anni menses et fasciculi aptius conveniant.

CORRIGENDA

Corrigant lectores quoque menda typographica quae in superiore N.º, ex nimia typhotetarum festinatione irrepererunt: p. 422, l. 35 *consumere* (= *consumere*); 436, l. 15 *adjacet* (= *adjacet*), l. 18 *pera*, *moeno* (= *per-amoen*); l. 30 *Rosario*

(= *Rosarii*); p. 438, l. 32 *chrétienne* (= *chrétien*); l. 41 *adulestium* (= *adulescentium*); l. 44 *typographum* (= *typographum*); l. 44 *in* (= *id*); p. 439 [notas] *77 *deverbium* (= *diverbum*); 78 *hathesin* (= *hetbesin*); *logi* (= *loqui*).

ILIADIS I

- Nullam ego do requiem manibus, cum pugna coorta est.
- 165 Attamen exuviae cum distribuuntur in omnes,
semper ego in naves, aeger fractusque labore,
parte tua solitus sum multo auferre minorem!...
- Hinc procul excedens, Phithiam cum puppibus ibo,
(hoc tibi tolle memor), patremque domumque revisam.
- 170 Nolo equidem, toties a te despectus, inique,
divitias, nomenque tibi laudesque parare».
- Huic responsa ferens, sic fatur Rex Agamemnon:
«Si sedet hoc animo, propera jam vertere terga!
Nec precor ut mecum maneas; nam plurima turba
- 175 me colit ac celebrat, praesertim Juppiter ipse...
Tuque mihi ex danais odio dignissimus unus!...
Bella tibi semper, lites et jurgia grata!
Si virtute praeis, Deus hanc tibi praestitit olim!
Ergo age! Duc socios reduces in navibus omnes!
- 180 Myrmidonasque domas! Me nil tua cura remordet!
Nil ego te timeo; contraque timere docebor!...
A me quandoquidem Chryseida tollit Apollo;
illam, cum sociis, nostraque in nave remittam.
Ipse tua, aggrediens iter, in tentoria vadam;
185 ac nitidis roseisque genis Briseida tollam,
quam tibi sors dederat. Monitus sic noscere discas
quantum te superem virtute; nec audeat alter
se reputare mei similem, contraque moveri!»...
- Sic ait. Ingemuit Pelides pectore ab imo;
190 magnanimumque, tumens, duplici cor fluctuat aestu:
an latere eripiens gladium, mucrone coruscum,
avertat socios, Regemque trucidet Atridam;
anne iram frenans, animum sub pectore placet.
Dum mente haec reputat tumidoque in corde volutat,
- 195 dumque ense nudat..., caelo delapsa repente,
ecce aderat Pallas, quam miserat aurea Juno,
horum semper utrumque pari complexa favore.
Stansque retro, crines flavas attrahat Achillēi,
huic soli apparens, aliorum a nemine visa.
- 200 Respicit attonitus, subitoque agnoscit Achilles
Pallada Cecropiam; nam flammae lumina fulgent.
Est prior ipse deae verba haec pennata locutus:
«Quid te, diva, Jovis soboles, hucusque tulisti?»

Forsan ut opprobrium videas Agamemnonis atrox?
 205 Haec tibi verba loquar, quae mox certissima fient:
 Hic... tumidos fastus horrenda morte piabit!
 Cui dea respondet, rutilantia lumina torquens:
 «Placatura tuum, caelo delapsa, furorem,
 sponte mea veni, pariter Junone iubente,
 210 quae simili studio vestrum amplexatur utrumque.
 Desere jam lites, neque dextra corripere ferrum.
 Ast illum poteris quocumque lacessere verbo...
 Nunc tibi tolle memor, quae mox perfecta videbis:
 —Olim dona tibi ter multiplicata dabuntur,
 215 hanc ignominiam propter, sortemque nefandam,
 si, nostris parens monitis, frenaveris iram»—
 Cui referens, pedibus velox affatur Achilles:
 «Est, dea, praeceptis vestris parere necesse,
 ac melius..., quamvis animos exasperet ira.
 220 —Qui mandata Dei facit, exauditur ab ipso»—
 Haec ait; et capulum dextra constrinxit adunca;
 ac validum docili vagina condidit ense.
 Ocior aethereum conscendit Pallas Olympum,
 tectaue Caelicolum repetit patrisque deorum.
 225 Tunc his Pelides atris Agamemnona dictis
 impiger aggrediens, irarum laxat habenas:
 «O vino somnoque gravis; titubantia semper
 membra trabens; canis ora gerens et pectora cervi!
 Cum populo ruere in bellum, simul arma parare,
 230 instruere insidias ducibus firmixtus aethaeis...,
 non audes unquam; refugisque pericula mortis!...
 Utilius vero est immensa per agmina grajum
 munera praedari, si quis diversa loquatur!...
 Rex, populi excidium, servos moderaris inertes!...
 235 Ultima probra forent, quae nunc es, Atrida, locutus!
 Accipe quae dico jurando jure supremo:
 Scilicet ut sceptrum, quod nunc mea dextera vibrat
 nunquam fronde levi fundet virgulia neque umbras,
 cum semel in silvis imo de stirpe recisum,
 240 matre caret, posuitque comas et brachia ferro,
 cumque opera artificis gestandum insigne coruscet
 in manibus danaum, qui dant, Jove iudice, leges:
 sic sacramentum per maxima numina juro:

Misaël VÁZQUEZ, S. J.

Quid de morte senserint classici scriptores^(*)

4. *Moriuntur juvenes et senes.* — Illud igitur, quod modo memoravimus, saxum jam jam lapsurum ac, vix semel avulsum, omnes aequè tracturum ruina est. Juvenibus enim non parcat illud, non senibus. Siquidem (1)

*illa rapit juvenes prima florente juventa,
non oblita rapit, sed tamen illa senes.*

Uterque simul turbine raptantur suo, nulla objecta differentia nullaque mora interposita; indiscriminatim, quemadmodum est apud Horatium (2), catervatimque

mixta senum ac juvenum densantur funera...

Atque id vel maxime notandum est fàto cotidie cedere vitamque cum morte commutare plures numero juvenes quam senes. Quid? Facilius herbae molles reciduntur vitesque laetae aut viride foenum.

Loquentem Ciceronem audiamus (3): *quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum se ad vesperum esse victurum? Quin etiam aetas illa multo plures, quam nostra, mortis casus habet.*

5. *Divites et pauperes.* — Sed neque divitiae — quibus omnia parent — neque majestas ab homine mortem semovent, neque paupertas, cui inest, — sine qua nihil est jucundum — securitas (4). Et pauper — qui ubique jacet (5) — et dives opibus superbus hoc sibi dictum tollat memor (6):

*pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
regumque turres.*

Pulsantis concussu vel duro obseratae pessulo ipsae per se panduntur portae. Sin autem furtim per cancellos repit, tandem ut levis utrique eademque (7)

*aequa tellus
pauperi recluditur
regumque pueris.*

Genus et nomen — quae fortuna non mutantur — ipsa spernit, testante Horatio (8):

*divesne prisco natus ab Inacho
nil interest, an pauper et infima
de gente sub dio moreris,
victima nil miserentis Orci.*

Ut paucis concludamus idem Horatius alio in loco haec habet minime praetercunda (9):

*unda scilicet omnibus
enaviganda, sive reges
sive inopes erimus coloni.*

(*) Cfr. fasc. sup. p. 425

1 *Eleg. in Maecenat. obitu*, 8. — 2 *Carm.*, I, 28, 19. — 3 *De Senect.*, XIX, 67. — 4 *SEN.*, *Epist.*, 11. — 5 *OV.*, *Fast.*, I, 218. — 6 *HOR.*, *Carm.*, I, 4, 13. — 7 *Id.*, *o. c.*, II, 18, 32. — 8 *Ib.*, II, 3, 21. — 9 *Ib.*, II, 14, 9.

6. *Minimi atque majores.* — Hac de causa nemo unquam mirabitur si ne ipsa quidem puerilis aetas, uti supra innuimus, nec satis jam constans et confirmata a debito naturae nos valebunt eximere (1),

*scilicet omne sacrum mors importuna profanat,
omnibus obscuras injicit illa manus.*

Omnem ad rem vitandam impendas licet operam, trans montes et maria currens, incassum omnia cedent; etenim (2)

*ulla est
aut magno aut parvo leti fuga.*

Post, haec romanae lyrae fidicen memorando subjungit (3):

*mors et fugacem persequitur virum
nec parcat imbellis juventae
poplitibus timidoque tergo.*

7. *Mortis necessitas.* — Huc accedit fati necessitas. Utcumque est, velimus nolimus (4),

longius aut propius mors sua quemque manet.

Ambigendum non est quod, factis rerumque multarum usu loquentibus, quovis horae momento cita mors venit (5); quod quidem, nisi insipienti inexploratum est nemini. Etenim in promptu res omnium prae oculis jacet (6).

*imperiosa leti
vis rapuit rapietque gentes.*

Lex ergo naturae putanda est (7):

mortalia facta peribunt;

praeterquam quod nunc temporis, si unquam alias, illud repetere fas est (8):

quocumque aspicio nihil est nisi mortis imago.

Urbes cotidie videmus funditus eversas, erutasque a fundamentis domus et moles repentino terrae motu; cunctaque demum pessum dare bellorum usquequaque procella detonante ac saeviente. Haec quidem nos aperte monent meliorem nos non esse sortitos vel adepturos vitae condicionem; at contra (9)

omnes eodem cogimur.

Idecirco ut vero tantopere formidoloso fidem praebemus, haud multa nobis opus sunt testimonia. Recte hanc plenis carminibus sententiam comprehensus est Lucanus (10):

*sortilegis egeant dubii, semperque futuris
casibus ancipites: me non oracula certum,
sed mors certa facit, pavido fortique cadendum est.*

Non aliter Propertius (11):


vicior cum vicilis pariter miscebitur umbris.

(sequar)

RAYM. SARMIENTO, C. M. F.

1 OV., *Amor.*, III, 9. — 2 *Serm.*, II, 6, 94 — 3 *Id. ib.*, III, 2, 14. — 4 PROP., *El.*, II, 6. — 5 HOR., *Serm.*, I, 1, 7. — 6 *Id.*, *Carm.*, II, 13, 19. — 7 *Id.*, *De art. poet.*, 68. — 8 OV., *Trist.*, I, el. X, 23. — 9 HOR., *Carm.*, II, 3, 25. — 10 LUC., *Pbars.*, IX, 581. — 11 *El.*, III, 5, 15.

NOVA ET VETERA



PICTURA 19.^a (prosequitur)

VIA - MERCATORES

12. — Supra patruelis officinam eximius horologiorum artifex ³⁷ habitat, qui simul aurifex est. Ejus magna officina magnam copiam continet horologiorum, pensilium, in crumena gestabilium, catenarum, ornamentorum magni pretii, ut sunt monilia gemmata, armillae aureae, innaures, anuli gemmis atque adamantibus ornati. Unum ex armariis vitreis rei aurariae et argentariae est destinatum atque in eo copiosa selectio vasorum mensae ex argento asservatur.

13. — Cum viae angulum flecterem, quadrulam ³⁶ juxta numerum domus appositam, mutatam intellexi. Quod cum elata voce significare vellem, orphicae militaris festivi concentus exauditi sunt. Ante legionem praecurrimus, quin animo cogitarem illam ante artificis petasorum et venditoris manicarum tabernam transituram, ibique — ante pergulam vitrariam optici, lentibus, oculariis, conspiciillis ornata — commode [milites] decurrentes aspicere potuissemus.

14. — Tympanorum magister ⁴² legioni ⁴¹ praecerat, quem tympana ⁴³ sequebantur et buccinae ⁴⁴ omni-que orphica. Dux, ⁴⁵ qui in area erat cum legato, ante aquam

salientem ⁴⁹ fontis ⁴⁸ steterat, ut pompam inspiceret. Officiales praetorii, ⁴⁶ praefectus et subpraefectus cohortis illum ense consalutarunt. Praefecti majores praecerant cohorti ⁴⁷ atque singuli centuriones manipulos moderabantur, dum subcenturiones, signiferi, optiones suum locum juxta milites tenebant.

15. — Magna praetereuntium turma in compito ⁵⁰ confluerat; mercatores, pluvialium venditor, ⁵¹ infector, ⁵³ armorum faber, ⁵⁴ ut milites viderent, sunt egressi. Vehicula et meritoria ⁵² et privata, ⁵⁷ irrigatoria quoque cupa juxta crepidinem late recesserunt. Rebus mercandis procurator, ⁵⁵ qui manu capsulas portabat specimina continentes, velociter viam praeteriit ⁵⁸ atque viri in constrato ⁵⁹ raedae assidentes, ut illud spectaculum viderent, se converterunt. Cantor circulator, ⁶⁰ organum manuale ⁶¹ portans, cantinellam praecidere coactus est, nam tympanorum strepitus illius vocem obscurabat.

16. — Cum legio ante rerum novarum receptaculum ⁶⁴ pervenit, sarcinatrices ⁶³ et vestiarii, ⁶² ut e fenestra prospicerent, machinam assutoriam reliquerunt et operam. Negotiator, ⁶⁵ qui nuper novas vestes ⁶⁶ in pergula reposuerat, panni ⁶⁷ ac telae convolvulos in crepidine —ad os profluvii ⁶⁸—, positos retraxit, ne turba eos projiceret; ac senex propola, ⁶⁹ quicum ostiaria de tibialium pretio contendebat, fauces penetravit ut venditionem finiret. Legionem ad militum contubernia comitati sumus, atque, eo die ad vota nostra acto, ad horam prandii regressi sumus.

17. — Insequente die cum pater occasionem praeberet typographiam diarii oppidani invisendi, studiose annuimus. Typographus —qui simul librarius, ⁷⁰ editor, chartarius, glutinator est—, in prima contignatione actuariae ⁷¹ diurni sedem posuit atque scalpendi officinam, (in qua lithographi ⁷² et scalptores ⁷³ aere caelando laborant) et typographum, ubi typographi sunt. Typographia ⁷⁵ autem, proprio nomine, prela et machinae in pede planis inveniuntur.

18. — Cum a typographia exiremus, Johannes —sollicito animo ante capsulam vitris instructam in columna positam et adversus mercium venditoris ⁷⁷ tabernam, constitit, atque, ad quid inserviret, quaesivit; ac pater, incendiorum indicem ⁷⁶ esse explicavit. Omnia praeterea ei in urbe admirationi erant, tum ipse fonticulus ⁷⁸ et velocius tricyclum onerarium, ⁸⁰ quod a famulo ⁷⁹ schemate induto agebatur, tum currus postalis. ⁸¹

19. — Dum pater temporis punctum a nobis secesserat ut cum exactore ⁸³ colloqueretur —qui et ipse constiterat ut cum causarum actore ⁸² et tabellione ⁸⁴ sermonem institueret—, viae concursationem spectantes, delectati sumus. Varia hominum genera ante conspectum nostrum praeteribant: gerulus dulciarius, ⁸⁵ qui in canistro libum exquisitum portabat, post scrutarium insequabatur; lanternarum incensor, ⁸⁷ qui cum opificice ad gasium conficiendum ⁸⁸ confabulabatur; sanctimonialis, ⁸⁹ quae manu tenebat orbam, monasterium ingrediebatur.

20. — Cum pater rursus nos est assecutus, Johannes effuse ridebat, faciem demiratus inquinatam atque mirum vestiendi modum duorum curatorum purgandis caminis ⁹¹ qui fuligine infecti erant.

21. — Cum vero plantam a florum venditrice⁹² matri meae emere vellem, patrem illam fore graviorem significavit atque opportunius esse mala aurea emere. Ad venditricem⁹⁴ ergo accessimus et, cum institutrix,⁹³ quae alumnae quaedam [mala aurea] seligebat, emendi finem fecit, ut et nobis apponeret, rogavimus.

22. — Cum tandem domum redimus, multos e notis invenimus: veterem familiae amicam, quae brachium matronae comitanti⁹⁵ porrigebat, pontium atque viarum curatorem,⁹⁶ consobrinam cum nutricula.⁹⁸ Deinde novorum vestium ornatricem⁹⁷ offendimus ac duos monachos in civitate peregrinos, qui ad nos accesserunt, viam stationis a patre sciscitandi causa.

VOCABULARIUM

- 37 horologiorum artifex, *relojero*, horloger.
aurarius, ii, aurifex, icis, m., *joyero*, *orfebre*,
orfèvre.
horologium † pensile, *reloj de péndula*, pendule.
horologium † [in crumena] gestabile, *reloj de bolsillo*, montre.
catena, ae, f., *cadena*, chaîne.
† ornamentum, i, n., gemma, ae, f., *joya*, bijou.
monile gemmatum, baccatum, *collar*, *gargantilla de perlas*, collier de perles.
armilla, ae, f., brachiale, is, n., *brazalete*,
pulsera, bracelet.
inaures, ium, pl. f., *pendientes*, boucles d'oreille.
† res auraria et argentaria, *platería*, orfèvererie.
vasa escaria, vasa mensae, *cubiertos*, couverts.
angulus viae, *esquina de la calle*, coin de la rue.
- 36 † quadrula, lamina, ae, f., *placa*, plaque.
*orphica, †symphonia, ae, f., *banda*, musique.
†legio, onis, f., *regimentum, i, n., *regimiento*,
régiment.
- 39 petasorum artifex, *sombrero*, chapelier.
40 manicarum venditor, *chirotarius, ii, m., *guantero*, gantier.
†decurrere, traducere, *desfilas*, défilé.
38 *opticus, i, m., *óptico*, opticien.
†lentes, ium, pl. f., *lentes*, lorgnon.
*ocularia, iorum, pl. n., *anteojos*, lunettes.
†conspicillum, *catalejos*, *anteojo de larga vista*,
lorgnette.
- 43 †tympanum, i, n., *tambor*, tambour.
44 buccina, ae, f., *corneta*, clairon.
legatus, i, m., *lugarteniente*, aide-de-camp.
49 aqua (fons) saliens, *surtidor*, jet d'eau.
pompa, ae, f., †traductio, onis, f., *desfile*,
défilé.
46 †officiales praetorii, *oficiales del estado mayor*,
- officiers d'état-major*.
†praefectus (tribunus) cohortis, *coronel*, colonel.
†subpraefectus (legatus praefectus) cohortis,
teniente coronel, lieutenant colonel.
†praefectus major, *comandante*, commandant.
†cohors, ortis, f., *batallón*, bataillon.
†centurio, onis, m., *capitán*, capitaine.
†manipulus, i, m., centuria, ae, f., *compañía*,
compagnie.
†subcenturio, onis, m., *teniente*, lieutenant.
†signifer, eri, m., *alférez*, sous-lieutenant.
†optio, onis, m., *suboficial*, sous-officier.
- 50 compitum, trivium, ii, n., *encrucijada*, carrefour.
51 †pluviale, is, n., *paraguas*, parapluie.
infector, oris, m., *tintorero*, teinturier.
- 54 armorum faber, *armero*, armurier.
52 vehiculum meritorium, raeda meritoria, *coche de alquiler*, fiacre.
57 †cupa irrigatoria, *cuba de riego*, tonne d'arrosage.
55 †rebus mercandis procurator, *corredor*, voyageur de commerce.
60 †cantor circulator[-ius], *cantor ambulante*, chanteur ambulant.
61 †organum manuale, *organillo*, orgue de Barbarie.
64 novarum rerum receptaculum, *almacén de novedades*, magasin de nouveautés.
63 sarcinatrix, icis, f., *costurera*, couturière.
62 vestiarius, ii, vestifex, icis, m., *sastre*, tailleur.
†machina assutoria, *máquina de coser*, machine à coudre.
65 negotiator, oris, m., *comerciante*, négociant.
67 †convolvulus [†contextus] panni, [†tela pannea], *pieza de paño*, pièce de drap.
68 profluvium, ii, n., *alcantarilla*, égout.

- 69 propōla, ae, m., *bubonero*, colporteur.
tibiale, is, n., *media*, bas.
fauces, ium, pl. f., *corredor*, *corridor*.
+militum contubernia, (+castra stativa), *cuartel*, *caserne*.
Dies ad vota nostra actus, *muy satisfechos de este día*, très contents de notre journée.
typographus, i, m., *impresor*, *tipógrafo*, *imprimeur*.
- 70 librarius, ii, m., *librero*, *libraire*.
chartarius, ii, m., *papelero*, *papetier*.
+glutinator, oris, m., *encuadernador*, *relicur*.
- 71 actuaria, ae, f., *redacción*, *rédaction*.
scalpendi (scalptorum) officinia, *taller de grabado*, *atelier de gravure*.
- 72 *lithographus, i, m, *litógrafo*, *lithographe*.
- 73 +scalptor, oris, m., *grabador*, *graveur*.
+typographēum[ium], i, n., *taller de composición*, *atelier de composition*.
pede plana, orum, pl. n., (plana coassatio), *piso bajo*, *entresuelo*, *rez-de-chaussée*.
- 77 mercium venditor, *mercero*, *mercier*.
- 76 index incendiolorum, *indicador de incendios*, *avertisseur d'incendie*.
- 80 tricyclum onerarium, *tricycle portador*, *tricycle porteur*.
- 79 famulus, i, m., *mozo*, *groom*.
schema, atis, n., (-a, ae, f), *librea*, *livrée*.
- 81 currus postalis, *coche de correos*, *voiture des postes*.
- 83 exactor, oris, m., *recaudador*, *percepteur*.
- 82 actor causarum, causidicus, i, m., *abogado*, *avocat*.
- 84 tabellio, onis, m., scribe publicus, *notario*, *notaire*.
- 85 gerulus dulciarius, *mozo de pastelería*, *garçon pâtissier*.
canistrum, i, n., *cesta*, *corbeille*.
libum, i, n., *pañel*, *pâté*.
- 86 scrutarius, ii, m., (=vestium venditor), *trape-ro*, *marchand d'habits*.
- 87 lanternarum incensor, *encendedor de faroles*, *farolero*, *allumeur de réverbères*.
- 88 opifex ad *gasium conficiendum, *gasiñta*, *gazier*.
- 89 sanctimonialis, is, f., *religiosa*, *religieuse*.
effuse ridere, *reír a carcajadas*, *ridere de tout coeur*.
- 91 curator, (opifex) purgandis caminis, *desbollinador*, *ramoneur*.
fuligo, inis, f., *bolín*, *suie*.
- 92 florum venditrix, *ramilletera*, *marchande de fleurs*.
- 93 institutrix, icis, f., *aya*, *gouvernante*.
- 96 curator pontium atque viarum, *ingeniero de puentes y caminos*, *ingenieur des ponts et chaussées*.
- 99 nutricula (gerula), ae, f., *niñera*, *bonne d'enfants*.
- 97 novorum vestium effectrix, ornatricis, *modista*, *modiste*.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

Picturae explicatio a Paulo discipulo

Innumera sunt, Dne. Magister, quae in hac pictura cernimus, ac nonnulli adificilliora quae latinis vocibus appellentur. Interrogas autem quoniam ex his magis arrideant, tibi que aperte proferam mihi in deliciis esse illam magnificam militum ducumque pompam conspiceret et equo concitato per vias ac plateas vehi et birota vel tricyclo velociter pervolare et quiete raeda per urbem ferri; me quoque maxime delectant — quod jam nosti — mellita dulciola, bel-

laria, pulchralia, adeo ut, si possem, gerulum illum dulciarium tenerem libumque, quod gestat, manducandum, arriperem; lugendum sanel... me non posse cum illo amicissime deambulare, confabulari, libumque forte dividere... — Quae in canistro proferis, mi mellitule, salivam movent; si pecuniosissimus — si *milionarius*, ut dicimus — forem, quam multa emerem gustu et ore delectabilia!...

De Thalasso philosopho

In reliquiis libri astrologici Apollonii tyanensis philosophi in «Patrologia Syriaca» [I 2 (Parisiis 1907) 1372] a Francisco Nau et in «Catalogo codicum astrologorum graecorum» [VII (Bruxellis 1908) 175] a Francisco Boll editis discipulus Apollonii commemoratur, quem historia philosophiae antiquae graecae adhuc ignoravit; Thalassus nomen huic ignoto philosopho fuisse videtur; cuius cognomen «Sustumos» mutilatam formam praebet, pro qua «Chrysoſtomos» a me proponitur. Chrysoſtomus Thalassus nomen integrum novi philosophi exprimit, ut opinor; brevitatis causa in hac disputatione Thalassum nominamus.

Nomen hujus philosophi adeo permutatur, quia scripta ejus tantum in translationibus arabicis ad nos pervenerunt; et interpretes arabi nomina graeca primaevae nominum cujusvis generis formam obscurius reddere solebant. Stomathalassos vel Stomatothalassos nomen illius viri sapientis in codicibus manuscriptis arabicis sonat. Ad Thalassi vitae tempus definiendum magni est momenti, quod ille discipulus Apollonii tyanensis fuit, qui ab anno p. Chr. n. tertio ad annum nonagesimum septimum (3-97) vixit. Thalassus familiarissimus Apollonii existimari potest, cum fragmenta libri tyanensis claris verbis Thalassum exhibeant, ad quem magister praecepta moralia miserit. Thalassus igitur medio saeculo primo post Ch. natum ortum esse verisimile est. Sed etiam finem vitae Thalassi ad certum aliquod tempus revocare possumus, quia discipulum hujus Thalassi novisse putamus: Theonem smyrnaeum. Thalassus enim libellum scripsit, cuius inscriptio est: «Duodecim praecepta ad Theonem». Qui Theon nemo fuit alius nisi ille philosophus Platonius smyrnaeus, qui Hadriano imperatore (117-138) introductionem ad Platonis doctrinam mathematicam composuit. Theon ipse circa annos p. Chr. n. 80-145 fuit. Inter hos duos philosophos: Apollonium tyanensem et Theonem smyrnaeum Thalassum ipsum fuisse oportet; non nimium erraverimus, si Thalassum intra annos p. Chr. n. 50-120 vixisse dicamus. Ex ratione, quae inter Thalassum et Theonem intercedit, etiam de Adraſti aphrodisiensis Peripatetici aetate nunc aliquid accuratius dici possumus. Adraſtus commentaria in Aristotelem composuit, cuius philosophi Stagiritae commentatio plerumque Athenis fiebat. Theon autem Adraſtum saepissime laudat, unde Adraſtum aphrodisiensem saltem paulo ante Theonem fuisse et scripsisse efficitur. Quod si verum est, Adraſtus aequalis Thalassi habendus et intra annum circiter 50 ad 120 constituendus est; sententiae igitur de Adraſti tempore vitae, quae scriptae leguntur in Pauly—Wissowa; Real—Encyclopaedie I 416 et apud Carolum Praechter «Die Philosophie des Altertums» (Berolini 1926) 562, corrigantur oportet. Adraſtus Athenis Aristotelem explicans Alexandro aphrodisiensi, centum annis post futuro, viam ad Aristotelem interpretandum monstravit et praeparavit. Ut Adraſtus Peripateticus et Thalassus, sic Gajus Platonius et Theon aequales fuerunt. Ita igitur constituto, quo vixerit Thalassus, tempore jam ad ejus rationem philosophicam delineandam convertamur. Doctrina Thalassi mentem Platonis secuta est, quod ex eo apparet, quod ejus discipulus Theon aequae erat Platonius; Theon

porro scientiae Pythagorae et praeceptorum similia docuisse dicitur, id quod optime ad Thalassum, magistrum Theonis, quadrat; nam Thalassus auditor assiduus Apollonii erat, qui ipse summopere Pythagoreorum mores imitabatur. Exinde elucet Thalassum magistrum et Theonem discipulum Platonicae doctrinae fuisse, quae nonnulla elementa Pythagorica complectebatur; neque tamen ex eo, quod Thalassus, sectator Apollonii Pythagorae fuerit, sequitur Thalassum totum Pythagoraeum fuisse.

Fas est alias quoque conjecturas de philosophis Thalassi aequalibus adjicere. Et primo de Theone qui, ut ex annorum serie jure opinamur, Thalassi disciplina utebatur et Smyrnae Hadriano imperatore (117-138) Platonis dogmata edocebat; in illa urbe erat museum, in quo omnes artes liberales et philosophia Platonica neque ulla alia philosophia publice tradebatur. Post Theonem vero in eadem urbe Smyrna eandem doctrinam Academicam alius Platonicus protulit: Albinus, discipulus Gaji Platonici, rectoris Academiae atheniensis; idem Albinus, quem Galenus, medicus et philosophus pergamenus, annis 149-151 Smyrnae audivit, lectiones Gaji de Platonis Timaeo Smyrnae repetivit et publici juris fecit.

Ex eo, quod Theon et Albinus in eadem urbe Smyrna de eodem Platone annis continuis disputabant, doctrinam Platonicae ibi floruisse judicari licet. Et ideo Thalassus quoque, praeceptor Theonis, in Asia Minore natus, Smyrnae fuisse et docuisse existimari potest. Qui omnes tres viri doctissimi asiani fuerunt. Theon et Albinus in Europam profecti, Athenis diligentius ingenium studiis philosophiae artiumque liberalium excoluerunt: Theon Adrastum Peripateticum Aphrodisia oriundum, Athenis Aristotelem explanantem audivisse putari potest; etenim Theon in eo libro, quem ad introductionem in Platonis philosophiam scripsit, hujus Adraستي haud raro mentionem facit (cf. Theo Smyrnaeus, recensuit Eduardus Hiller. Lipsiae 1878 p. 213. Teubneriana). Albinus autem Athenis Gaji Platonici disputationibus de Timaeo interfuit. Thalassus vero Apollonii tyanensis scholas solum in Asia Minore frequentasse videtur. Illud museum tandem, quod, ut opinor, exemplo musei Alexandrini in urbe Smyrna institutum erat, quamquam multo minoris erat amplitudinis, idem propositum atque museum Alexandrinum persequabatur; praeterquam quod in Smyrnae museo collectiones librorum asservabantur, etiam scholae Platonicae et institutiones artium liberalium ibi habebantur (cf. J. Cadoux: *Ancient Smyrne*. Oxford 1938 p. 232, 2). Opera denique duo hujus Thalassi philosophi in codicibus arabicis enumerantur: 1. Lectiones ad philosophiam pertinentes; id est: protrepticus seu adhortatio ad studium philosophiae. — 2. Duodecim praecepta ad Theonem. Quae scripta graece minime exstant (cfr. PAUL SBATH: *Bibliothèque de Manuscrits Paul Sbath*. Cairo 1928, codex 15, 3. 537. 1031, 3. praeterea: PAUL SBATH; *Al-Fihris*. Le Caire 1938. codex 55).

Opera Thalassi ex graeca lingua primo in linguam syriacam et e syriaca in arabicam versa esse videntur. Mihi quidem persuasum est in hoc tam longo et difficili translationis circuitu nomen quoque philosophi Chrysothomi Thalassi partim depravatum esse. Et ideo Thalassum rectam formam nominis hujus viri sapientis exprimere recte arbitramur. «Thalassus» piscatorem significat. Quod nomen pro-

prium ostendere potest Thalassum in ora maritima Asiae Minoris natum esse. Thalassus, non autem Thalassius, est nomen illius philosophi. Et ut Dio Prusaensis, Thalassi aequalis, propter eximiam facultatem dicendi «Chrysoſtomus» cognominatus est, sic Thalassus quoque eodem cognomine Chrysoſtomus ornatus est. Hoc novo philosopho Platónico Thalasso recuperato historia philosophiae graecae certo nomine et certis integrisque duobus opusculis denuo aucta est. Chrysoſtomus Thalassus ex Asia Minore ortus, philosophus Platonicus elementis Pythagoreis edoctus, auditor Apollonii tyanensis Pythagorēi, magister Theonis smyrnaei Platonicus, —fortasse ipse Smyrnae aliquamdiu docuit—, intra annos p. Chr. n. circa 50 usque ad 120 exstitit.

EMIL ORTH

Commercium epistulare

R. Sarmiento, C. M. F. Josepho Mir, «Pal. Latinae» Moderatori, salutem.

Curis solutus tempus arripui ut commercium epistulare instaurarem, datis acceptisque multis verbis. Propterea quod multa obveniunt cottidie incommoda, quae me prohibent ab hoc negotio gerendo. Recurrente vero hoc a Congregatione condita 99^o anno, libentissime aë. iis tabellariis committebam hanc epistulam salutatoriam.

In primis ad magnam quam agitabam laetitiam alia accedebat causa quae me vehementer urgebat suadebatque ad has tibi, litterarum latinarum fautori, conscribendas.

Qui latinam linguam et amamus et fovemus, multis abhinc annis hanc ab argentinorum scholis exulare lamentabamur et dolebamus. Ab inito tamen curriculo, tres priores annos per septem horarum spatium latino sermoni vacabitur, sex horae deinceps annis, qui consequuntur, juxta nova scholae proposita et instituta, tribuuntur.

Ea praesertim nobis extollenda videtur, quae tantopere in votis erat, voluntas ut in discendo sive docendo una adhibeatur classica linguae latinae pronuntiatio, nunnulis tamen, quod non fieri non poterat, renitentibus ac repugnantibus. Crediderim equidem hanc initam rationem esse nostrae PALAESTRAE opera, quae tot annos rectum consilium tutata est, vestigia observans Conditoris et Magistri desideratissimi. Est igitur causa quod nobis gratulemur. Haec nobis attulit apud nos rerum publicarum conversio; hoc nobis septem abhinc annis praenuntiaverat futurum clarissimus vir Pemanus, oratorum id aetatis princeps idemque nobis hospes jucundissimus.

Magnos inde et civibus universis et sermoni patrio fructus et decus splendoremque obventura quis dubitet? Quam ob rem unanimi plausu lex et jus Ministri ad litteras fovendas atque regendas accepta ac laudata sunt ab iis qui juventutis institutionem prudenti consilio persequuntur et omni ope contendunt.

Minima notatu sunt quae nuntiantur; nobis quidem minime contemptibilia, qui in latina lingua divulganda animos et operam impendimus.

His litteris quaedam adjungo in PALAESTRA edenda, si tibi placuerit, discipulorum scripta, qui tuam omnes operam mirantur voluntatique tuae, qua par est, obsecundare conantur. Tua etiam dona accepi; atque promissorum pars serius ocius ad te perveniet, cum tempus sufficiet. Memoria amicorum dulcissima cum imo se deat animo excitat ut omnes hac oblata occasione salvere jubeam. Vale.

Villae Rosarii, postridie idus julias.

Josephus M.^a Mir Raimundo Sarmiento, C. M. F. Socio carissimo sal.

Litterae tuae gratissima mihi attulerunt nuntia meque —illis diebus quibus Salmanticae commoratus fui—, amplissime recrearunt.

Bene facis, o bone, quod aliis rebus ac negotiis sepositis, cum amicis colloqueris —idque latine si tamen non per radiophonica nuntia, per aëreum saltem cursum postalem, quo mira celeritate tuae ad me pervenerunt litterae. Laetitiam —qua perfunderis totusque exultas— video ac tecum quoque laetor, primum, de centenaria jam fere nostra familia Claretiana et praesertim de illo —quem aperte dixerim— triumpho, quo tandem coronari latinitatis Professores et cultores meruisti; occasioni favete atque incumbite...; impense date operam ut sermo latinus apud vos in honorem —quo par est— habeatur, quod et deinceps perduret.

Neque minor est causa laetitiae quod classica pronuntiatio adhibenda statuatur; id propugnaverat venerabilis noster PALAESTRAE conditor, eandemque et vos et nos insequamur viam.

Tuae cum advenerunt litterae, Salmanticae nostrae —litterarum sedis et magistrae— commorabar, ubi sexaginta Sacerdotes ac Religiosi viri ex non nullis Ordinibus et Congregationibus de rebus ad colenda, fovenda, pervulganda studia litterarum latinarum atque graecarum impense vacabamus. Sed de hoc conventu alias, Deo favente.

Hisce mensibus aestivis opportunitatem nactus sum ut paucos saltem dies apud Collegia nostra diverterem atque Scholaisticis ad latinitatem excolendam animos injicerem.

Deinde Podii Ceretani (Puigcerdá) cum carissimo tibi et nobis fratre P. Jos. Jiménez, conventui seu corriculo philologiae interfuimus, quod auctore Dno. Mariano Bassols, latinitatis Professore in Universitate Barcinonensi celebratum est. Ibi nobilissimos viros ac litteratos homines cognoscere atque audire licuit: Dnum. Eugenium D'Ors, Drem. J. De Entrambasaguas, Drem. Traversi, Dnum. Casanovas, Ant. Badia —quorum lectiones alio hujus ephemeridis loco opportunius leges; recensendi quoque praesertim —quia propius ad latinitatem accesserunt— Dr. Ant. Griera et Dr. P. Aebischer, qui de toponymia in locis prope Pyrenaeos et Helvetiam investigarunt. Sed prae primis Dnus. J. Marouzeau, qui tribus lectionibus diserte atque amoene de inopia et copia linguae latinae disseruit atque de vocabulis quae a graecis mutuarunt romani; maxima subtilitate atque dicendi venustate quam multa nobis enarravit...!

Neque praetereunda — cum ad te scribam quae adeo rebus poëticis delectaris —, in illis locis naturae suavitas atque amoenitas: quam prodiga in his terris mater natura sese praebet!...; quam suavis animo insidet quies et dulce otium dum illa altissima montium cacumina et oculis et mente contemplaris; aut dum ex alto montium jugo illac — longiuscule — oves et boves prospicis et villam, ubi colonus cum uxore et liberis tranquille inhabitat; aut dum montium radices solis luce splendentem demiraris, superna vero pars densis vel tenuioribus circumcingitur atque coronatur nubibus; aut dum herbae planitiem vides et praeceps quasi invitus per eam decurris, quae hiberno tempore locus erit commodissimus *nivitrabis*, quibus instructi per nivem celeriter delabentur; aut denique dum velocissime per aëra enavigas rotabili funi circumductus atque in ea sedecula suspensas quam *silla-ski* (= «sella nivitrah») nostri appellant.

Galliam quoque invisere licuit, atque e locis Bourg-Madame et Font-Romeu dictis pulcherrimas demirati sumus naturae venustates atque amoenitates.

Quid amplius? Cetera alias...; nolo meis ineptis verbis te diutius fatigare. Haec dum leges, nostri memento et sodalium, qui tibi animo conjunctissimi sunt et fuerunt. Vale plurimum atque salve.

Barbastro, decimo kal. octobres.

P. S. *Nivitrabas* appellavi novo vocabulo quas alii ut Bacci (*Varia latininitatis scripta*), *oblongas soleas* dicunt, forsitan minus apte ad significandos illos «calceos» ligneos, quos vulgo *ski* appellant.

BIBLIOGRAPHIA

KARL STRECKER. — *Introduction a l'étude du latin médiéval*, traduite de l'allemand par Paul van de Woestijne, Librairie E. Droz, 14, rue Verdaine, Genève, 1948.

Historici ac philologi homines, qui latinis mediae aetatis auctoribus impendunt operam, gratias quam maximas Dno. Strecker significare debent quod in ejus opere initiationem quandam, potius quam merum librorum elenchum, ipsis praeberit.

De plerisque quaestionculis dilucida — ut quae magistrum deceant — praecepta exhibentur. Omnem rationem et curam adhibeat lector, velim maxime, ad ea quae de vocabulario, prosodia, orthographia, morphologia, syntaxi amplissime traduntur ad discipulantur.

In votis esset ut quicumque in latinis mediae aetatis auctoribus versantur doctum hunc Dni. Strecker libellum — tam pulchre a Dno. van de Woestijne de germanis conversum — in promptu semper haberent, nec ab eo unquam discederent, sibi persuaderent dulces se ex eo fructus degustaturos esse.

J. J. VAN DOOREN. — *Pour et contre la poésie*, Collection Lebègue, Office de Publicité, 73 pp., 35 fr., Bruxelles, 1948.

«Pour et contre la poésie» aptissime inscribitur hic libellus, eo quod in illo poetarum ingenium vel laudibus a doctis ornatisque viris cumuletur, vel facete derideatur. Quorum alii apud hominem privatum humaniter colloquuntur,

alius vero coram frequentissimo tribunali romano litteratoque praeside M. Quinto Cicerone, oratoris fratre, elegantissime disceptat.

Ex duobus opusculis ab auctore allatis, aliud, «Orationem pro Archia», jam veteres inter opera secundo litterarum curriculo accomodata ponere consueverunt, cujus operis absolutae quidem elegantiae neminem ignarum puto; aliud tamen, «Dialogum, scilicet, oratorum» a Tacito adolescentulo confectum, dignum esse multis de causis existimo quem omnes penitus cognoscant et majorem in modum pervulgare satagant.

Horum, ut opinor, librorum collatio, atque copiosae notulae, quibus singula eorum capita ornantur, dilucidam eruditorum hominum romanorum notitiam exhibebunt his maxime adolescentulis, qui in litteras latinas summo flagrant amore et cupiditate.

VICENTE GARCÍA DE DIEGO. — *Estudio psicológico lingüístico del temor a la muerte entre los Clásicos latinos*, Imprenta de la Gavidía, Sevilla

Fasciculi auctor — ut ex praefatiuncula apparet — operosum commentariolum instituit de propriis vocabulis quibus ad mortem dicendam latini auctores saepius utuntur; ex quibus vocabulis, quo modo veterum animi, mortis cogitatione perculsi, sese habuerint, inferre conatur.

Quamvis haec lucubratiuncula nec ad stilisticam, nec ad psychologiam, nec ad syntaxim unice pertineat, tamen et stilisticae multum habet et syntaxis non nihil, ut quidquid psychologiae debet praetermittam, ex qua universa orationis comprehensio proficietur.

En tibi, lector, laboriosa cogitationum verborum expressarum compilatio, quae non simpliciter et ex sua vi, sed una conjuncteque inducuntur, sic ut ab optimis latinis auctoribus perhibentur;

ISIDORUS MAULEON, C. M. F.

EDITIONES HELVETICAE, Series Latina, t. 5: CICERO: *In Catilinam orationes quattuor*: edidit J. Béranger. *Pro Archia poeta oratio*: edidit André Labhardt. t. 6: CICERO: *Pro. Sex. Roscio Amerino oratio*: ed. P. Wiesmann; *De imperio Cn. Pompei oratio*: ed. H. Breitenbach t. 8: *T. Livi Ab Urbe condita libri I et II*: ed. G. Meyer. t. 9: *Rudimenta poetica*: ed. P. Buxtorf. t. 17: M. TULLIUS CICERO: *Cato Major de senectute liber*: ed. G. Meyer; *Laelius de amicitia liber*: ed. O. Gigon. — Orell Füssli, Turici (Zürich).

Quae nobilis vir Orellius Fusslius editor prodidit opuscula maximis sunt laudibus honestanda; haec dum leges, animus certe tuus placide delectabitur; et charta selecta et typorum claritas et tota operum distributio quandam animo tuo conferent in legendo lenitatem atque quietem. In t. 5 proponuntur «in Catilinam orationes quattuor» et «pro Archia poeta oratio», in t. 6 «pro Sex. Roscio Amerino» et «de Imperio Cn. Pompei orationes» in t. 8 «Tit. Livi ab Urbe condita libri I et II», quibus praefatiuncula praemittitur in eaque editionem Oxoniensem in primis se secutum esse auctor praemonet, quidque significant quae in textu vel uncis < > vel quadratis [] vel asteriscis includuntur; «editionem denique auxilii et adpersis nonnullis adnotationibus et additis duobus indicibus». In t. 9 «Rudimenta poetica» velut «titrocinium Helveticum» proponitur atque de re metrica clara et brevis disputatio antecedit, deinde quidam versus subsequuntur qui fama celebrantur. Praecipua tamen operis pars loca selecta Ovidii e Metamorphosesint. Fastis, Tristibus excerpta afferuntur. Tandem triginta Phaedri leges fabellas optime selectas. In t. 17 «Cato Major de senectute liber» et «Laelius de amicitia liber» eduntur, hisque nomina propria suo loco subsequuntur.

Editionem omnibus numeris perfectam dixeris, si his fasciculis auctores postea adnotationes parent. Ceteros libros studiose spectamus quos ultro lectoribus nostris commendemus.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

EDITORIAL
GRAFICAS CLARET
 TEXTOS PALAESTRA

Preparados por PP. Misioneros del Corazón de María

1.º y 2.º Cursos:

Historiae Sacrae Compendium
 (3.ª edición) 6'00 ptas.

Epitome Historiae Graecae
 (4.ª edición) 8'00 »

C. Nepotis Vitae Excellentium
 Imperatorum (en prensa)

Primer Curso de Lengua Latina
 4'00 ptas.

Segundo Curso de Lengua Latina
 6'00 ptas.

REPETITORIUM { en cartóné 12'00 ptas.
 en tela 15'00 »

3.º y 4.º Cursos:

Ciceronis Epistulae Selectae 6'00 pts.

Caesaris de Bello Civili 8'00 pts.

Ciceronis in Catilinam (I.ª) 6'00 pts.

Ciceronis pro Archia poeta 6'00 pts.

5.º y 6.º Curso:

Sallusti de Catilinae Coniuratione
 6'00 ptas.

Vergilii Aeneidos liber II 6'00 »

Horatii Carmina Selecta (en prensa)

T. Livii Historiae Selectae 8'00 »

De Orthographia Latina 6'00 »

7.º Curso:

Prudentii Carmina Selecta (agotado)

Homeri Odyssea (canto 1.º) 6'00 pts.

Edición de sólo texto latino:

Ciceronis Epistulae 2'00 pts.

Ciceronis in Catilinam (I.ª) 2'00 »

Ciceronis pro Archia 2'00 »

Sallusti de Catilinae Coniuratione
 3'00 pts.

Vergilii Aeneidos liber II 3'00 »

T. Livii Historiae Selectae 3'00 »

NOVEDAD de "Textos Palaestra"

GRAMATICA GRIEGA

La **Fonética** al servicio de una morfología más racional.

La **Fonética** al servicio de la pedagogía.

La **Sintaxis** desde el pensamiento griego.

La **Sintaxis** para el pensamiento griego.

Obra original de los profesores belgas

• **Planque, Lermينياux, &**

Traducción preparada por TEXTOS PALAESTRA •

CLÁSICOS "LABOR"

Esta Colección constituye el guía obligado en la lectura y estudio de los grandes clásicos de la Antigüedad y de las Literaturas modernas. Cada volumen contiene un estudio magistral acerca de uno de los grandes autores y una selección de los textos más bellos y representativos de sus obras, facilitando con oportunos comentarios la perfecta asimilación de su contenido ideológico y su plena fruición estética.

Volúmenes de 250 a 300 páginas, tamaño manual (11,5 x 17,5), encuadernados a la holandesa, con sobrecubierta a dos tintas y un retrato del autor estudiado, impreso sobre papel couché.

VOLÚMENES PUBLICADOS

1. **HOMERO**, por J. M. PABÓN, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 28.—
2. **VIRGILIO**, por J. de ECHAVE-SUSTAETA, Catedrático de Lengua y Literatura latina. Ptas. 32.—
4. **BALTÁSAR GRACIÁN**, por J. GARCÍA LÓPEZ, Catedrático de Lengua y Literatura española. Ptas. 30.—
5. **SÉNECA**, por J. F. YELA, Catedrático de Filosofía en la Universidad Central. Ptas. 30.—
6. **DEMÓSTENES**, por M. FERNÁNDEZ GALIANO, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 32.—

NUEVOS TOMOS EN PRENSA Y EN PREPARACIÓN

EDITORIAL LABOR, S. A.

MADRID: Alcalá 144

BARCELONA: Ronda Universidad, 23

FOTOGRAFIADOS

M. JOLANO

ARIBAU, 9, INTERIOR · TELEFONO, 30255

BARCELONA

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

Dominus et ostiarius

DOMINUS — Heus!, heus!, quid facis intus, janitor?... aperi... aperi... nemo auditur. Ne canis quidem latrat. Quo se abstruserit improbus, nescio. Scelstiosem hoc servo credo unquam me vidisse neminem. Aut in limine jacet ebrius, aut, quidquid venit in buccam, garrit ostiatim cum multerculis. Pejus mihi est, cui is, januae immemor, relinquit domum incustoditam furibusque diripiendam. Tandem concrepant fores... venit aliquis. Ubi fuisti, serve nequam?

OSTIARIUS. — Cum cane, ut soleo post meridiem, conivens in atrio.

DOM. — Nihil est tuis mendacius oculis, qui non sunt somno, sed vino gravati. Huc accede! Ut graviter oles vinum! Cum Marco e vicinia servo vinum isti potum. Me dique deaeque perdant, nisi flagellis te ad mortem caedam (*flagellis servum caedit*).

OST. — Cur me miserum verberas? ah! ah! perii! occidi!!!

DOM. — Nunc da operam mihi. Abi intro, cito occlude januam. Mox hic rursus ero. Cave ne quenquam in aedes intromittas. Si quis veniat carbonem petentem, dicito a domino ignem nunquam accendi. Si qua multercula aquam petat, dicito a puteo aufugisse aquam. Rogitanti vicino cultrum, ollam, quicquam allii vel caepae, quod in mortario contundat, dicito noctu omnia abstulisse fures. Neminem volo in aedes intromitti; atque etiam si bona Fortuna cum olla auri plena huc accesserit, vide ne intromittas.

OST. — Fortunam credo nunquam hanc vidisse domum.

DOM. — Tace, inquam, ambobus pessulis occlude januam, et haec, quae dixi, memoria tene. Nemi nisi aperito. (*Retrorsum rediens*) Nemi nisi!

(*Paulo post*)

DOM. — Heus!, heus!, nonne habes aures? surdus es? aperi... aperi; visne calcibus effringam fores?

OST. — Quis est qui tam impudenter ostium pulsat?

DOM. — Dominus.

OST. — Dominus mihi dixit januam nemini esse aperiendam; quin etiam voluit hanc duobus pessulis occludi, ne cui aditus sit.

DOM. — Male mihi sit, nisi te hodie, si prehendero, in terram defigam colaphis, nisi te virgis comminuam.

OST. — Dominus, nisi fallor, bonus est, pro domo sua sollicitus, sibi constans, mitis ingenio, non superbus, non morosus, servos amat, raro imperat, sed, cum imperat, exigit ut sibi diligenter oboediant servi. Nec esse potest ut is, qua prudentia est, modo hoc dicat, modo illud faciat. Ergo, si praecepit ne cuiquam pateat domus, justo jure, justissimo hoc facit.

DOM. — Mihi videris insanire.

OST. — Mene insanire?

DOM. — Ita se res habet, nisi domino ostium aperis.

OST. — Si quis — inquit — veniet carbonem petentem, dicito ignem a domino nunquam accendi. Rogitanti vicino aliquid, occludito januam, atque si etiam bona Fortuna huc accesserit, cave ne intromittas. Nemi nisi — inquit — nemini aperito.


DOM. — Ergo quid vis me foris facere?

OST. — Quid? mane in limine ad contendum sub dio ubi te relinquo ut vadam festivus potum (1).

G. PASQUETTI

(1) *Roma antica da vicino*, Palermo. Soc. edit. R. Sandron.

CURIOSA ET JOCOSA



223. — Carmina quae fecit sollerter, in hoc labyrintho, Certans Vergilius, blandisona, invenies.

MARIUS, C. M. F.

224. — IN SCHOLA

MAGISTER. — Tibi est ante oculos septentrio; dexteram versus, oriens; sinistrorsum, occasus. Quid versus tergum tibi est?

PUER. — «Sarcimen!» (*remiendo*). Jam dixi matri meae in schola visuros esse omnes hoc sarcimen! ..

Adspirantes Carmelitani in Coll. Teres., Calagurri.

225. — QUID PRO QUO

Infirmo pilulas medicus sumendas praecipit.

— Haec illi alternis horis sumendae sunt.

— Nullum est nobis horologium, ait mulier.

— Gallo semel cucurrlente,

duas ei praebe; duas cum prima luce canat iterum

— Postero die medicus cum venisset, quaesivit a muliere: dedistine ei pilulas?

— Quidem, domine; at ipse, ut duas priores sumpsit, mortuus est neque iterum cecinit...

— Papae! Cuiam pilulas praebulsti?

— Gallo, domine mi....!

ALBERTUS
DISANTI, C. M. P.
e V.º c.

Villae Rosarii, in Argentina.

226 — INTER PUELLAS

— Si qua tuo insideat petaso, quid, bellula, dicas?

— Hanc ego perstultam perstolidamque vocem, Vocibus afficiam diris, caedamque flagellis.

— Grates, at petasum tu teris ipsa meum...

227. — CREDITOR ET DEBITOR

— Redde mihi centum sestertia debita, Luca.

Nam mea res adeo tristia damna tulit,
Ut mihi nunc unus centum sestertius aequet.

— Ergone? Sume unum, persoluique tibi..

228. — APUD SARTOREM

— Fige novos globulos (*botones*) huic vesti.

[— Rectius esset

illis globulis vestem figere, crede. novam.]

229. — RUSTICATIO

PUER. — Nunc est in votis insistere, mater, asello,
CONJUX MARITO. — Supporta puerum care marite,
[tuum.]

ISIDORUS MAULEÓN, C. M. F.